

ad operandum; fit ergo in ipsa a sola prima causa. Atque hic accommodant varia dogmata, quæ dicunt esse *recepta philosophorum principia*, qualia sunt, *omnem causam secundam movere, motam a prima*; et *omne quod movetur, ab alio moveri*, sicque reduci omnia ad unum primum movens immobile, et quod *causa secunda agit in virtute primæ*.

Respondemus illud tertium, quatenus fingitur distinctum a primo, et per se necessarium, etiamsi causa secunda sit completa in suo actu primo, et conditionibus requisitis ex parte sua ad operandum, illud (inquam) gratis excogitatum esse, et sine ullo fundamento. Negatur ergo illa tria esse necessaria, sed duo sufficere, si primum perfectum sit in suo robore. Unde in agentibus naturalibus, et actione transeunte, si sol aut ignis, etc., habeat passum applicatum et capax, seu non impeditum, nulla indiget excitatione media inter suam virtutem et actionem, quia natura sua est determinatus ad agendum, et ideo statim et immediate ab illo profuit actio; non ergo est necessaria in ipso principio seu virtute agendi alia excitatio; imo nec concipi potest quid sit vel quem effectum habeat. Et eadem ratione non est necessaria applicatio nova ex parte virtutis activæ, si supponatur localis applicatio sufficiens, quæ per localem motum aut agentis aut passi fieri solet. Unde etiam impertinens est omnis alia motio prævia, quæ in tali causa aut virtute ejus per se fingitur necessaria. Dico autem semper per se, quia ubi virtus fuerit imperfecta, vel dispositio agentis fuerit improporcionata ad effectum, tunc esse poterit necessaria aliqua alteratio prævia in ipsamet causa agente; verumtamen etiam illa non pertinet ad motionem primæ causæ, sed per alias causas secundas facienda est, et si illæ defuerint, deficiet etiam effectus propter defectum et impotentiam causæ agentis. Atque in potentis cognoscitivis, priusquam operentur, necesse est ut excitentur vel moveantur ab objectis per impressionem specierum, quia talis potentia sine specie non est virtus completa ad agendum; at postquam jam est actua per speciem, non indiget per se alia excitatione vel applicatione, nisi fortasse sit potentia, quæ in exercitio sui actus pendet ab appetitu seu voluntate; tunc enim indigebit applicatione, propter subordinationem potentialium in eadem anima, et sine tali applicatione non habet omnes conditiones ex parte sua requisitas ad operandum; et ideo semper nos

etiam addimus ex parte causæ secundæ supponendum esse actum primum completum cum omnibus conditionibus requisitis ex parte causarum secundarum, quibus stantibus superflua est omnis alia motio vel excitatio prævia, quæ propter solam subordinationem ad causam primam fingitur necessaria. Atque ita etiam in voluntate, quamvis ex se habeat sufficientem virtutem activam ad actus naturæ proportionatos, indiget tamen applicatione objecti per cogitationem, et ex hac parte indiget prævia excitatione et metaphorica motione seu applicatione; tamen hac supposita, non indiget ex parte sua nova præmotione, ut eliciat actus naturæ proportionatos, quia ipsa est principium se movens ad exercitium actus, quod non aliter facit quam voluntarie eliciendo ipsum actum, ad quem habet proportionatam virtutem, solumque indiget concomitante concursu primæ causæ ad hujusmodi actus; respectu vero supernaturalium actuum est ipsa de se insufficientis principium, et ideo non solum ex parte intellectus indiget peculiari excitatione superioris ordinis, sed etiam in seipsa postulat excitationem et elevationem per quam recipiat virtutem, quæ sit sufficiens principium ad operandum in illo ordine, et sit ita accommodata libertati ejus, ut in actuali influxu et operatione ab illa pendeat, seu ejus cooperationem ita requirat, ut si voluntas ipsa nolit influere, nec prævia virtus illi addita operetur. Postquam autem voluntas per hujusmodi supernaturalia adjuvamenta, tam ex parte intellectus quam ipsius voluntatis, constituta est in ratione sufficientis principii ad tales actus eliciendos, non indiget prævia excitatione vel motione ex parte primæ causæ, sed solo concursu concomitante, et ita applicando cum proportionem illa tria, quæ in argumento sumuntur, ad singulas causas, intelligitur facile illud tertium membrum, in sensu quo assumitur, confictum esse, atque adeo propter illud non esse necessariam specialem Dei præmotionem.

Ad illa vero dogmata Philosophiæ, respondemus primum ad illud, *causa secunda movet mota a prima*, ut verum sit, intelligendum esse sano modo, scilicet, movere motam, id est adjutam a prima, seu nil agere posse nisi cooperante prima, vel, si intelligitur de motione recepta in ipsa causa secunda, imprimis intelligendum est de motione late sumpta, prout dicitur de quacumque effectione vel conservatione cujuscumque esse, vel virtutis, et sic verum est causam secundam moveri a

prima, quia ab illa recipit esse et virtutem operandi, et omnes etiam conditiones ex parte sua prærequisitas ad operandum, sive illas recipiat mediante alia causa secunda cui Deus cooperetur, sive immediate a prima causa, ut contingit in causis secundis, quæ a solo Deo immediate pendent, ut Angeli recipiunt a Deo immediate species, et sic de aliis; postquam autem causa secunda complete constituta est in actu primo, in quo ab ipso Deo conservatur, non oportet novo motu moveri ut agat, sed immediate prodit in actionem concurrente Deo, sicut etiam dici potest causa secunda applicari vel excitari a Deo ad agendum, quia applicatur et quasi excitatur a sua inclinatione naturali quam habet ab auctore naturæ.

Sed objicit ille auctor quia virtus causæ secundæ est imperfecta; ergo debet perfici ab ipso Deo priusquam agat; ergo debet prius actu moveri a Deo; posita autem hac motione, jam est perfecta, ut ex illa infallibiliter sequatur operatio, alias, inquit, Deus esset imperfectum applicans extrinsecum. Respondetur virtutem causæ secundæ completam in suo genere hanc solum imperfectionem habere, quod sola non sufficit ad suam actionem, sed indiget cooperatione primæ causæ, et ideo ad agendum non indiget motione in ipsa recepta, qua ipsa intrinsece perficiatur, alias, etiamsi illi addatur talis motio vel perfectio intrinseca, cum illa creata sit, etiam erit imperfecta, et oportebit perfici a prima causa, quia est creata virtus; quod si illi non est necessaria alia perfectio primæ causæ præter concursum simultaneum, idem nos dicimus de ipsa virtute causæ secundæ in suo genere completa, et proportionata effectui. Nec pertinet ad perfectionem Dei, ut sit extrinsecum applicans inevitabile, ut sic dicam, nisi juxta mensuram voluntatis suæ, quæ ordinarie solum est movere et applicare causas secundas per inclinationes naturales, vel servata indifferentia in causis secundis.

Unde illud aliud principium: *Omne quod movetur ab alio movetur*, non video quid ad rem præsentem pertineat, quia agens, ut agens, in actu secundo non movetur, sed movet, et ideo non oportet ut ab alio moveatur. Si autem agens dicatur quatenus recipit virtutem agendi, sic jam concessum est moveri a prima causa. Quod si in particulari sit sermo de agente actione immanente, quod movetur dum agit, quatenus in se recipit actionem suam, sic negari non potest quin moveat seipsum, quia agit in seipsum; quomodo

autem in illo verum habeat illud axioma varie explicant philosophi, alii per actum virtutalem et potentiam formalem, alii quaerendo aliquam diversitatem inter principium agendi et recipiendi; quod vero ad nos spectat, satis est, hujusmodi agens, seu causam secundam, quatenus sic movetur, etiam moveri a prima; quia illa motio non fit sine influxu causæ primæ, quamvis non fiat ab illa solum, et ita ibi distingui potest movens a moto, quia movens est, verbi gratia, Deus cum voluntate, mota autem est sola voluntas, et ita ad verificandum hoc principium in voluntate, verbi gratia, consentiente, non oportet fingere præmotionem solius Dei, quasi cogentem illam ad consensum, sed sufficit concursus Dei cum ipsa se movente.

Sed instat quidam, quoniam voluntas, etiam secundum illam considerationem qua est principium agendi, non est actus purus, sed admixtus potentia; ergo etiam secundum illam habet pati ab aliquo extrinseco; et in intellectu similiter argumentatur; nam si dicatur agere, jam patitur, quatenus per speciem constituitur in actu primo; ipsa etiam species intelligibilis nequit esse principium agendi, si consideretur solum ex parte intellectus qui patitur; ergo est principium agendi secundum quod movetur a Deo; quas rationes propono, ut lector consideret quam sit destituta hæc sententia veris rationibus, cum his utatur quæ vix connexionem aliquam habere videantur.

Respondetur ergo negando simpliciter primam consequentiam, si intelligatur de passione proxime ordinata ad agendum, nam si intelligatur generaliter de quocumque influxu superioris causæ, licet totum concedatur, est impertinens ad rem de qua agimus. Nam ex eo quod lux solis, verbi gratia, non sit actus purus, non sequitur ipsam lucem esse in potentia ad aliquid recipiendum ultra suam entitatem et intrinsecam virtutem, sed solum sequitur esse entitatem, quæ recipit suum esse ab alio, et habere in se aliquam compositionem ex actu et potentia, vel saltem illam ingredi; non tamen sequitur quod quando illuminat, aliquid patiat, vel in se recipiat; quæ est enim connexio inter hoc consequens et illud antecedens? Idem ergo est de voluntate, quantum est ex vi illius principii, scilicet, quod non est actus purus, nam inde solum sequitur habere esse et dependentiam a puro actu, vel etiam posse aliquando esse in actu, et aliquando in potentia; non tamen

sequitur quod quando agit, patiatur aliquid prævium antequam suum actum vel actionem recipiat. Quod si in aliquibus actionibus aliquid hujusmodi patiat, non ex solo illo principio, sed ex eo quod fortasse ad tales actiones non habet proportionatam virtutem, et tunc licet aliquid prævium recipiat, non oportet ut illud sit prædeterminans, et multo minus hoc sequitur ex illo principio, sed satis est quod sit adjuvans, et de se præbens vim sufficientem operandi. Sic etiam intellectus, cum recipit speciem per quam constituitur, in actu primo patitur, et ab alio movetur, et sub ea ratione dici potest esse principium agendi motum ab alio; tamen jam sic constitutus non indiget alia motione, per quam iterum moveatur ab alio, ut agere possit; et sic species ipsa intelligibilis, ea ratione qua est principium agendi, saltem ex parte objecti cujus vices tenet, quamvis non sit actus purus, non oportet ut aliquid patiat priusquam agat, quod idem est de omni virtute creata, quæ est tantum potentia activa, et non passiva, ut est calor, et similes.

Erat aliud principium quod causa secunda agit in virtute primæ; sed hoc habet facilem et veram intelligentiam; potest enim id dici, quia causa secunda habet a prima virtutem agendi, quam semper ac continue causa prima influit in ipsam. Secundo, etiam id dici potest, quia causa secunda, dum operatur, nititur et fundatur in prima, quia pendet in agendo ex ejus cooperatione et influxu, qui primarias vices habet in suamet operatione; non ergo oportet fingere aliam virtutem, quæ necessario superaddenda sit causæ secundæ per actualem motionem ejus; unde si de hac virtute intelligatur illud axioma, facile negatur, quia nec est per se notum, nec ulla probabili ratione fundatur; neque, ut existimo, inveniatur auctor gravis qui in illo sensu illud asseruerit, ut in discursu sequentium capitulum videbimus.

Sed occurrit statim quinta et vulgaris ratio, quia causa prima prius natura influit quam secunda; ergo hoc ideo est quia non solum influit in effectum vel actionem ipsius causæ secundæ, sed etiam in ipsam causam, movendo illam, et faciendo ut faciat, ut ita non solum sit causa effectuum causarum secundarum, sed etiam ipsis causis sit causa ut causent. Consequentia probari potest, quia respectu actionis vel effectus fluentis a causa secunda, prima causa non prius influit quam secunda. Antecedens probatur primo, quia

causa prima omnibus modis debet esse prima; ergo etiam in suo influxu debet esse prior, saltem natura, quam omnis alia causa secunda. Secundo, quia causa secunda recipit a prima non solum quod sit et virtutem habeat, sed etiam actualem operationem; ergo causa secunda habet a prima quod operetur; ergo Deus est causa quod causa secunda operetur; ergo prius natura causat quam illa. Tertio, quia quod aliquando est in potentia, aliquando in actu, reducitur in actum ab aliquo priori actu, ut docent universi philosophi; sed ignis prius est in potentia agendi, et postea in actu; ergo reducitur in talem actum a priori agente; ergo necesse est ut actio prioris agentis, ordine saltem naturæ, præcedat. Quarto, quia si duæ causæ sunt subordinatæ, necessario debet una earum prius natura influere quam alia; sed causa prima et secunda sunt subordinatæ; et secunda non potest prius natura influere, quia alias esset prior quam prima, et in illo priori non penderet a Deo; ergo major patet, quia alias non potest intelligi in quo sit subordinatio; item quia alias non minus penderet causa prima a secunda, quam secunda a prima in agendo; patet sequela, quia hæc dependentia solum consistit in hoc quod secunda causa in actione sua requirit concomitantiam influxus divini; simili autem modo influxus primæ causæ requirit concomitantiam secundæ; ergo est æqualis dependentia mutua, quod est valde absurdum, quia Deus in omni genere causæ debet esse prior. Quinto, quia alias concursus causæ primæ modificaretur a concursu causæ secundæ, et non ab ipsa voluntate et intentione Dei, quod etiam repugnat divinæ perfectioni.

Respondetur aliud esse comparare causam primam ad secundam, aliud vero comparare influxum utriusque causæ prout concurrunt ad eandem actionem vel effectum; loquendo de ipsis causis secundum se, clarum est causam primam esse natura priorem, non solum ratione altioris perfectionis, sed etiam ratione causalitatis, quia causa secunda non habet esse nec virtutem causandi, nec condiciones requisitas ad operandum, nisi ex influxu primæ; sed ex hac prioritate non infertur prævia motio causæ primæ in secundam, supra totam virtutem et condiciones requisitas ex parte ipsius causæ secundæ. At vero comparando actuales influxus causæ primæ et secundæ in actionem causæ secundæ, sic negamus esse proprium ordinem naturæ inter

illos influxus. Ratio est, quia proprius et verus ordo naturæ requirit distinctionem in re inter ea quorum unum est prius natura quam aliud; tum quia ordo naturæ est realis; tum etiam quia fundatur in vera causalitate, quæ non est nisi inter extrema aliquo modo in re distincta. At vero influxus causæ primæ et secundæ non distinguuntur in re, sed ratione tantum et habitudine ad diversas causas præcise conceptas per inadæquatos conceptus nostros; eadem enim actio indivisibiliter est a causa prima et secunda; et prout est a prima, dicitur influxus Dei; prout vero est a secunda, dicitur influxus ejus. Quod vero hæc duo non possint in re distingui, patet, quia alias actio creaturæ, ut est in re ipsa distincta a concursu Dei, non penderet ab ipso Deo, quia non flueret ab ipso; sed essent ibi duæ actiones quasi partiales, una a solo Deo, alia a sola causa secunda, et ambæ tenderent in eundem effectum, non tamen una ad aliam, quia ad actionem non est actio, et ita licet effectus causæ secundæ flueret a Deo, tamen ipsa actio causæ secundæ, prout est in re ipsa, non flueret a Deo, quod dici nullo modo potest. Igitur ipsamet actio, in re ipsa spectata fluens a causa secunda, fluit etiam a causa prima; ergo non potest esse distinctio vel præcisio in se, ut sic dicam, inter utrumque influxum, sed sola præcisio rationis; ergo nec vera prioritas naturæ inter eos esse potest, sed sola prioritas rationis, secundum quam solet etiam considerari unus respectus ut nobilior alio, vel universalior aut independentior, et quia prioritas naturæ interdum extenditur ad significandam excellentiam perfectionis vel majorem nobilitatem originis, ideo secundum hanc considerationem dici potest concursus causæ primæ natura prior, id est, dignitate, non vero prioritate fundata in propria causalitate, ut explicatum est.

*Vide Cabezud. et Cabr.* — Juxta hanc ergo doctrinam, dixi in lib. 4 de Auxiliis concursus Dei posse dici priorem natura, quia est prior perfectione universali et independentia, non vero quia in causando præcedat concursus causæ secundæ, nec quia unus concursus sit causa alterius, nec quia unus sit via ad alium, quia simul sunt una via realis ad unum terminum. Contra quam doctrinam objicit quidam hæc non satis esse ut causa secunda dicatur moveri a prima, alias (inquit) eadem ratione diceretur quod intellectus noster movetur ab intellectu Angelico, siquidem

ille est prior nostro, perfectione, duratione et universalitate. Sed objectio et exemplum sunt satis extra rem, primum quia nos negamus causam secundam moveri a prima ex vi concursus generalis per se necessari ad actionem causæ secundæ; secundo, quia de prioritate durationis nulla mentio a nobis facta est, quia in præsentem est per se nota, nec exemplum est ad rem, quia Deus per se et ab intrinseco est prior duratione quam creatura; intellectus autem Angelicus non est per se prior duratione quam humanus, sed prout Deus voluerit eos creare. Tertio, prioritas universalitatis intelligi debet in causando, et est hujusmodi, quod nihil causat causa secunda, quod non causet prima; causa autem prima efficit quæ vult sine secunda, et hac ratione ego illam vocavi priorem in subsistendi consequentia, quæ solet etiam dici prioritas naturæ; sic autem non est universalior intellectus Angelicus quam humanus, quia ita potest intellectus humanus causare sine intellectu Angelico, sicut e converso; solum potest Angelicus dici universalior in objecto, sicut sensus communis dicitur universalior quam visus, quæ universalis est impertinens ad prioritatem causalitatis, de qua in præsentem est sermo; imo etiam illa major universalitas intellectus Angelici posset facile negari, quia etiam intellectus humanus habet universalissimum objectum, quamvis non possit æque perfecte attingere omnia contenta sub illo, ac intellectus Angelicus. Denique solus excessus in perfectione hic non consideratur, præsertim si fiat comparatio solum in naturis vel operationibus diversis, ut fit inter intellectum Angelicum et humanum; hic autem fit comparatio in causalitate et influxu ad eundem effectum et actionem, in qua dicimus habere Deum illas proprietates majoris excellentiæ et dignitatis, quæ ad quamdam naturæ prioritatem pertinent.

Sed arguit me alius inconstantia et contradictionis, eo quod dixerim in lib. de Auxiliis concursus Dei posse dici priorem in subsistendi consequentia; videtur enim hoc falsum, quia, sicut influxus causæ secundæ seu liberi arbitrii non potest esse sine influxu Dei, ita ille influxus primæ causæ, quo concurrat cum causa secunda, non potest esse sine influxu ejusdem causæ secundæ juxta nostram sententiam. Vel certe si datur influxus Dei prior in subsistendi consequentia, necesse est ut ille etiam sit prior in existendo: *Nam prioritas in subsistendi consequentia est prioritas*

*existentiæ, ut admittit* (inquit ille) *ipse Suarez in Metaph., disput. 1, sect. 1, num. 11, in fine, quod quasi sui oblitus in disputat. 22, sect. 3, num. 10, negare videtur*; et patet etiam exemplo Aristotelis, nam unum est prius in subsistendi consequentia quam duo, quia est etiam prius in existendo; sic ergo influxus primæ causæ, si est prior in subsistendi consequentia, erit etiam prior in existendo; ergo in illo priori est a solo Deo, et recipitur in causa secunda. Respondetur nullam esse repugnantiam vel contradictionem, sed objectionem procedere ex eo quod non recte explicatur prioritas in subsistendi consequentia; quando enim duæ rationes formales, quæ in re aliqua non inveniuntur actu distinctæ, sed sola ratione distinguuntur, comparantur inter se in illo genere prioritatis, non sunt limitate sumendæ prout in tali re sumuntur, sed altera earum abstracte concipienda est, et ab existentia quam in tali re habet præscindenda, sicut animal dicitur esse prius in subsistendi consequentia, quam homo, quia potest esse extra hominem et sine homine; ut autem hoc verum sit, oportet loqui abstracte de animali secundum se, nam si sumatur realiter et identice, illa ratio animalis, quæ est contracta ad hominem, revera non potest existere homine non existente; sic ergo cum dicimus influxum Dei esse priorem in subsistendi consequentia, non loquimur de influxu illo, prout est in re identificatus cum influxu causæ secundæ, sed solum secundum se, et abstracte, quatenus est influxus Dei; atque ita, consideratus priori modo, verum est non posse in re ipsa separari ab influxu causæ secundæ, et nihilominus influxus Dei, ut sic, operari potest et per se sufficere ad effectum, cum tamen e converso influxus causæ secundæ separari non possit, nec per se sufficere; nec oportet ut influxus Dei, qui est cum causa secunda, vel sine illa, sit omnino idem, vel ejusdem rationis quasi specificæ, sed satis est quod in illa abstracta ratione formali conveniant, sicut animal quod potest esse sine homine non est ejusdem rationis specificæ, sed genericæ; sic ergo explicata prioritate in subsistendi consequentia, non oportet ut illa ratio, quæ dicitur hoc modo prior, habeat in re ipsa prius existentiam quam altera cum qua comparatur; ut, in exemplo adducto, animal non prius existit quam homo, quia in ipsomet homine non prius existit, ut per se notum est, nec etiam necesse est ut in alio prius existat, sed, si id

contingat, mere accidentarium est. Idemque est in illo exemplo de prioritate inter unitatem et binarium; quis enim dicat unam personam esse in Trinitate prius in existendo quam duas, solum quia unitas secundum suam rationem formalem est prior in subsistendi consequentia? Nec oppositum ego dixi in disputatione prima Metaph., sed potius omnino idem; addidi autem quidpiam consideratione dignum respectu Dei; dixi enim rationes, quæ a nobis abstrahuntur a Deo et creaturis, ut ratio entis, substantiæ, etc., licet videantur communiores quam ratio Dei, non posse dici priores natura, vel in subsistendi consequentia Deo ipso, cujus ratio est, quia, licet tales rationes communiores sint, non tamen possunt in aliquo existere, nisi prius existant in Deo; unde etiam habent communitatem non univocam, sed analogam; hinc autem non sequitur ad hanc prioritatem naturæ requiri prioritatem existentiam a parte rei, seu in eadem re, in qua fit comparatio secundum rationem, sed solum sequitur requiri hanc dependentiam ex parte illius rationis formalis, quæ prior in subsistendi consequentia dicitur, ut possit a parte rei existere saltem in alia re, etiamsi altera ratio omnino non existat, ut explicatum est in exemplo animalis, et verificatur in concursu Dei, ut declaratum etiam est.

Ad quintam ergo rationem, negatur simpliciter antecedens in sensu quo assumitur, scilicet, quod causa prima prius natura influat quam secunda, prioritate causalitatis; ad primam autem probationem, respondetur causam primam esse quidem primam omnibus modis pertinentibus ad perfectionem ejus, et ad debitam dependentiam omnium aliorum causarum et effectuum ab ipsa; illa autem prioritas naturæ, per quam tribuitur causæ primæ, ut se sola prius aliquid necessario efficiat in causa secunda, ultra integram virtutem ejus, nec spectat ad perfectionem causæ primæ, nec est necessaria ad debitam subordinationem ac dependentiam ab ipsa, ut constat satis ex rationibus superius factis. Quidquid enim fingitur conferre Deum per hanc motionem causis naturalibus, nos dicimus sufficienter tribui per innatas virtutes et alios effectus causarum secundarum, et hoc censemus pertinere magis ad perfectam Dei providentiam ac causalitatem; quod autem conferret Deus causis liberis per talem motionem actualem et determinativam earum, ultra omnia principia sufficientia ad operandum,

non solum non pertineret ad perfectionem, sed potius everteret debitum providentiæ modum, tollendo usum libertatis, et interdum redundaret in injuriam divinæ bonitatis, determinando liberum arbitrium ad malum. Quare sine tali motione salvatur sufficientissime debita subordinatio et dependentia, quæ in hoc consistit, ut actio causæ secundæ essentialiter pendeat a prima, et ideo secunda non possit efficere sine adjutorio primæ. Quod etiam adversarii fateri debent, nisi velint in alium errorem declinare. Probatur, nam postquam prima causa influit illam suam præviam motionem in causam secundam, vel ibi cessat ejus actio, et in secundo instanti naturæ procedit actio causæ ab illa sola, ultimate jam completa et constituta ad operandum; vel etiam in illam actionem immediate influit Deus novo influxu quem in illo posteriori naturæ tribuit. Primum horum non dicitur ab his auctoribus, nec dici potest sine magno errore, quia alias effectus causæ secundæ, in instanti quo fit, non penderet immediate a Deo, sed solum per accidens, tanquam a causa remota, quæ dedit proxime virtutem et applicationem, unde causa secunda non penderet a prima in agendo, sed solum in applicatione ad agendum, quod est omnino falsum; nihil enim cogitari potest habens aliquid esse participatum, quod non immediate pendeat ab ente per essentiam, alias facile induci quis posset in errorem Durandi, negantis generalem concursum actualem primæ causæ; nam revera tolleretur necessitas ejus; denique contra hoc multo efficacius posset retorqueri illa probatio, quod causa prima debet esse omnibus modis prima, utique omnibus modis pertinentibus ad causalitatem per se et immediatam primæ causæ, respectu omnis entis et modi realis. Igitur, etiamsi admittatur illa motio Dei prævia in causa, necesse est admittere novum influxum Dei in actionem et effectum creaturæ; de hoc autem influxu non potest dici quod sit prior natura quam influxus causæ secundæ, nec quod sit vera causa ejus, propter rationes factas, quia in re non distinguuntur, sed tantum ratione, et ita non est inter eos emanatio unius ab alio, sed mutua conclusio et identitas, atque hoc tandem concedunt adversarii, et, expressius quam cæteri, Cabre-ra, distinguendo duplex auxilium, seu duo concursus primæ causæ, unum prævium, vel alium simultaneum. Jam ergo argumentor in hunc modum: Deus in illo concursu simulta-

neo vere concurrat ut causa prima; ergo non est de ratione causæ primæ, ut sic, quod ejus concursus sit prior natura quam concursus causæ secundæ; unde quando aliquid ejus auxilium vere prævium ordine naturæ necessarium est, id provenit ex alio capite, et ex alia indigentia causæ secundæ, non ex generalibus rationibus causæ primæ et secundæ. Item causa secunda, etiam ut prius natura affecta illa prævia motione Dei, est subordinata primæ causæ, et dependens ab illa in agendo; hac enim ratione postulat ulteriorem concursum simultaneum; ergo ex vi subordinationis et dependentiæ causæ secundæ a prima non est necessaria illa prioritas naturæ in influxu primæ; non ergo sufficienter probatur necessitas illius prioris influxus, ex sola ratione causæ primæ, ut sic, sed alia ratio tribuenda est; quod si illa non invenitur, nec talis influxus prior necessarius judicandus est, sed potius superfluous, et habens adjuncta multa incommoda, præsertim quando ad causas liberas applicatur.

*Causa secunda quomodo recipiat a prima actualem operationem.* — Ad secundam probationem, respondetur causam secundam recipere a prima actualem operationem, eo modo quo ipsa operatio est a causa secunda. Nam si operatio ita est a secunda causa, ut non sit in ipsa causa secunda, non recipit operationem a prima recipiendo in se aliquid ultra suum esse, et virtutem sufficientem ad operandum; nam quidquid illud sit vel esse fingatur, non est operatio; ergo quanquam secunda causa illud recipiat a prima, ex vi illius non reciperet operationem, nisi Deus alio influxu illam immediate efficeret. Igitur causam secundam recipere operationem a prima in hujusmodi causis nihil aliud esse potest, nisi habere a prima adjutorium et influxum ad suam operationem, sine quo illam efficere non posset. Quando vero causa operatur actione immanente, sicut magis proprie dicitur recipere operationem, quia in se intrinsece illam recipit, ita magis proprie dicitur eam recipere a prima causa, non quidem recipiendo motionem præviam, illud enim nec necessarium nec sufficiens est, sed recipiendo ipsammet operationem, quam Deus efficit in causa secunda; sicut autem non esset verum dicere solum Deum efficere talem operationem, ita nec potest cum veritate dici causam secundam habere a sola prima suam operationem, nam etiam habet illam a sua virtute intrinseca per quam in illam influit.